

sunt in sensu proprio, et sic sine ulla expositione, vel addito concedenda est illa propositio, sicut absolute conceditur, quod Christus est compositus ex duabus naturis, Christus autem persona est. Nec compositio absolute affert imperfectionem in suo conceptu, nisi quando servatur utraque conditio supra a nobis relata ex D. Thoma, non quando solum altera salvatur cum vera, et propria compositione, quæ est adunatio multorum in aliquo uno communicanti esse extremis.

DISPUTATIO V.

DE CAUSA MORALI ET PHYSICA INCARNATIONIS.

ARTICULUS I.

Utrum sancti patres meruerint de congruo incarnationis substantiam?

I. Supponimus de condigno non meruisse incarnationem, ut manifeste ostendit D. Thomas, articulo primo hujus quæstionis. Præcipue, quia unio hypostatica, cum sit unio in esse personali, et divino, transcendit beatitudinem, quæ est unio solum in esse intelligibili, et per modum speciei. Cum autem in pura creatura non detur altius principium merendi, quam gratia, et unio hypostatica, ita transcendat gratiam adoptionis, ut sit alterius ordinis, sicut esse Personam divinam, respectu hujus, quod est participative, et accidentaliter tantum esse Deum, sicut est per gratiam adoptionis,

manifestum relinquitur, quod incarnatio quantum ad substantiam non potest cadere sub merito de condigno puræ creaturæ, hoc est creaturæ merentis per gratiam adoptionis, si quidem meritum de condigno adæquari debet cum præmio in valore, et virtute, et contineri in gratia tamquam in semine: gratia autem est semen gloriæ, non unionis hypostaticæ.

II. Tota ergo difficultas est de merito congrui, an possit gratia collata patribus, cum sit per Christum, mereri incarnationem ejus, quantum ad substantiam. Et ut intelligatur punctus difficultatis, advertendum est, congruitatem dupliciter accipi posse. Uno modo pro congruitate fundata in pura misericordia Dei, sine aliquo jure, sive debito ex parte operis: alio modo pro congruitate fundata in proportionem amicitiae, et in opere gratiæ facto ab amico; amicitia autem est pars potentialis justitiæ, et sic fundat aliquod debitum, etsi non strictum, et rigorosum, sicut meritum de condigno.

III. Et hinc est, quod D. Thomas agnoscit meritum de congruo non semper idem, sed diversimode se habere, ut patet in II, dist. XXVII, quæst. I, art. VI, et 1-2, quæst. CIV, art. VI, dum in prioribus verbis articuli loquitur de actu, secundum quod procedit a libero arbitrio, ut distinguitur a motione divina, et tribuit illi meritum de congruo respectu divinæ misericordiæ, et superexcellenti virtutis ejus: in fine autem corporis articuli loquens de alio genere meriti de congruo, fundat illud in ipsa gratia, et amicitia erga Deum, quia congruum est secundum amicitiae proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salute alterius.

IV. Hic ergo loquimur de merito congrui hoc secundo modo, quia hoc habet veram rationem meriti, et

fundat aliquod jus, etsi non rigorosum, saltem amicabile, et morale; supponitque amicitiam tamquam principium talis meriti, in cujus proportionem fundatur, ideoque sine gratia nullum datur meritum, etiam de congruo respectu præmii supernaturalis. Et ideo communiter supponunt theologii, quod qui haberet gratiam, seu amicitiam Dei, et non per Christum, posset ejus incarnationem mereri de congruo, quia difficultas non est in proportionem amibili actus procedentis a gratia cum ipsa incarnatione, sed in hoc, quod illa gratia est habita per Christum.

V. Neque est simile de operibus ordinis naturalis ad promerendum de congruo rem supernaturalem, et de operibus gratiæ ad merendum de congruo ordinem hypostaticum, quia ordo naturalis non constituit hominem in vera amicitia Dei, sicut gratia, et ideo non potest fundari meritum de congruo sine gratia, quia hoc meritum fundatur in proportionem amicitiae.

VI. Hoc ergo supposito, tota difficultas reducitur ad illud commune argumentum, quia principium meriti non potest cadere sub merito: constat autem incarnationem secundum substantiam esse principium omnis meriti, quia est principium omnis gratiæ, si quidem ut dicitur Joan. I: *De plenitudine ejus omnes accepimus, et gratiam pro gratia*: ergo gratia patrum non potuit mereri incarnationem Christi, quia erat data per Christum, et incarnatio erat principium illius, etiam de facto, et in executione, quia Christus positus in executione merebatur illam, et sic erat principium talis meriti, quia erat finis cujus gratia dabatur.

VII. Confirmatur ex doctrina D. Thomæ 1-2, quæst. xcviij, art. iv, ubi inquit: « Quod ex sola gratuita

electione patres promissionem acceperunt, et populus ex eis progenitus legem accepit, etc. Si autem rursus quæretur, quare hunc populum elegit, ut ex eo Christus nasceretur, et non alium, conveniet responsio Augustini, quam dicit super Joannem, quare hunc trahat et illum non trahat noli velle judicare, si non vis errare. » Et quo deducitur argumentum: Patres non potuerunt mereri, ut ex ipsis Christus nasceretur, si quidem tam gratuitum fuit respectu illorum, sicut Deum efficaciter trahere istum, et non illum; quod utique ita gratis fit, quod nec sub modo de congruo cadere possit: ergo neque potuerunt patres mereri de congruo ipsam incarnationem: plus enim est mereri incarnationem absolute, quam mereri, quod fiat ex isto populo: hoc enim pertinet quasi ad circumstantiam incarnationis; ergo si hoc non potuerunt mereri de congruo, neque illam.

VIII. Confirmatur secundo ex his, quæ docet D. Thomas in III, dist. IV, quæst. III, artic. I ad sextum: « Quod Beata Virgo non meruit incarnationem, sed supposita incarnatione, meruit quod per eam fieret, non quidem merito condigni, sed merito congrui: » ergo ipsa substantia incarnationis secundum D. Thomam, sub merita congrui non cadebat, si quidem supposita illa meruit Beata Virgo, quod per eam fieret incarnatio: si autem supponitur incarnatio; ergo non cadit sub merito.

IX. Denique urgeri potest: Quia si sancti patres de congruo meruerunt incarnationem, quæ est principium gratiæ; ergo etiam meruerunt de congruo suam gratiam, quia incarnatio erat principium, et causa illius; ergo qui merebatur illam de congruo, etiam propriam gratiam merebatur.

X. Nihilominus sententia D. Thomæ est, sanctos patres meruisse de

congruo incarnationem. Ita loquitur hic articulo decimo, in calce corporis: Et expressius in tertio ad Annibaldum dist. iv, quæst. v, artic. iv. Et loquitur D. Thomas de merito congruo fundato in jure amicabili, quia dicit: « Quod sancti patres meruerunt incarnationem desiderando, et petendo, quia congruum erat, ut Deus exaudiret eos, qui sibi obediebant: » ergo supponit, quod erant amici Dei: et infra: « Si quidem erant obedientes voluntati ejus. » Et cum D. Thomas dicat, quod meruerunt petendo, et desiderando, manifestum est, quod loquitur de substantia incarnationis, et non solum de circumstantiis, quia antiqui patres, non solum petebant, et desiderabant accelerationem, vel alias circumstantias, sed etiam ipsam incarnationis substantiam, seu ipsius Christi adventum. Unde in tertio sententiarum citato dicit D. Thomas: « Accelerationem incarnationis potuisse cadere sub merito de condigno; incarnationem autem sub merito congruo: » ergo manifeste loquitur de substantia incarnationis, quia hæc distinguitur contra accelerationem, et alias circumstantias.

XI. Fundamentum hujus sententiæ sumetur ex eo, quia gratia, si non daretur per Christum haberet sufficientem vim ad merendum incarnationem, sed ex eo quod sit per Christum non amittit hanc efficaciam: ergo neque obstat quod incarnatio sit principium meriti, ut possit quoad executionem cadere sub merito gratiæ; ergo non est cur negetur hoc meritum gratiæ patribus. Consequentia est bona, et major certa, et admissa ab opposita sententia. Minor probatur, quia incarnatio non est principium meriti intrinsecum, id est, existens in ipsis sanctis patribus, dansque valorem operibus ipsorum, sed solum est

principium extrinsecum, et per modum causæ finalis se habens, non efficientis; ut docet D. Thomas infra quæstione lxxii, articulo vi. Tale autem principium meriti extrinsecum, et solum per modum finis se habens, non repugnat, quod quantum ad sui executionem cadat sub merito: ut patet, tum exemplo, tum ratione.

XII. Exemplo quidem, quia gloria ut intenta a Deo pro prædestinato se habet, ut causa finalis gratiæ, et meritorum, quæ se habent, ut medium ad consequendam gloriam. Et sic licet ipsa gloria, ut intenta non cadat sub merito, tamen ut assequenda in executione, cadit sub merito. Sic incarnatio, ut intenta tamquam finis, et fons totius gratiæ non potuit cadere sub merito; ipsa tamen executio incarnationis fuit dependens a pluribus mediis, et causis physicis: ergo etiam potuit esse dependens a causis moralibus, qualis est meritum congrui per orationes, et desideria sanctorum patrum, juxta illud Psalm. xi: *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus, ponam in salutari, etc.*

XIII. Et ratione id etiam constat, quia licet media dependeant a causa finali, ut a principio intento, tamen etiam finis dependet, et procedit a mediis in sui executione ergo licet gratia antiquorum patrum dependeat ab incarnatione, ut a principio meriti in genere causæ finalis, tamen ipsa incarnatio in executione, dependere potest a meritis patrum, ut a mediis moralibus, quia talis gratia, et merita præcesserunt tempore executionem incarnationis, quod non habuit nostra gratia, et merita, quæ sunt post Christum: ergo antiqui patres potuerunt mereri incarnationis substantiam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XIV. Ad fundamentum oppositum (omissis variis solutionibus) dicimus, quod principium meriti, quod non est intrinsecum, neque dans valorem operi, sed solum extrinsecum, et in genere causæ finalis, bene potest cadere sub merito, quantum ad executionem sui in re, quia in hac parte non est principium meriti, sed terminus assecutus: solum autem prout in intentione est principium meriti per modum finis. Et ita dicit D. Thomas ubi supra: « Beatam Virginem non meruisse incarnationem, nisi præsupposita incarnatione, » quia videlicet præsupposita incarnatione, quantum ad intentionem, et in genere causæ finalis meruit ipsam incarnationis executionem. Et quando fuit prævisa incarnatio, ut finis intentus, fuit etiam prævisa executio ejus virtualiter, ut facienda per talia media, inter quæ unum est dispositio moralis per merita congrua sanctorum patrum.

XV. Cæterum contra hanc doctrinam insurgunt Lorca hic disputat. xxii, et Vazquez disput. xxii. Lorca quidem, quia impossibile est dari gratiam antiquis patribus per Christum prævisum, nisi etiam detur propter ejus merita, ut in tempore executi, quibus de facto meruit illam gratiam patribus: si enim ista merita non ponerentur in re, nunquam intuitu illorum daretur gratia patribus: ergo etiam incarnatio, ut executi in re fuit principium illius gratiæ; ergo non potuit gratia patrum in eodem ordine, et linea mereri incarnationem, scilicet in executione.

XVI. Et sic fortius instat argumentum: Quia gratia data fuit patribus, non solum per Christum, ut causam finalem, sed etiam ut cau-

sam meritoriam, si quidem Christus vere, et proprie meruit gratiam patribus, sed causa meritoria non operatur, nisi in executione, non in intentione, quia causa meritoria non est finalis, quæ in intentione operatur, sed dispositiva, quæ in executione; ergo falso dicimus, quod gratia patrum data propter Christum in intentione, est causa illius in executione, cum revera Christus etiam in executione sit causa talis gratiæ. Unde etiam ex consequenti etiam erit causa sui, quia est causa gratiæ patrum, et gratia patrum est causa incarnationis; ergo est causa sui.

XVII. Vazquez autem instat: Quia Christus ut prævisus in re per scientiam visionis fuit causa gratiæ patrum; ergo ut executus, et non solum ut intentus, quia scientia visionis non tendit ad rem, nisi ut existentem et executam. Item: quia hæc est differentia inter causam physicam, et meritoriam, quod physica sua efficacia attingit effectum, et ponit illum extra causas; causa autem meritoria non attingit effectum in se, sed movet voluntatem alterius, ut operetur illum; ergo si merita patrum fuerunt causa moralis incarnationis, sequitur, quod fuerunt causa movens voluntatem Dei ad ponendam incarnationem: ergo præcesserunt intentionem incarnationis, et sic etiam Christus in intentione esset posterior meritis patrum. Denique, nihil obesset, quominus incarnatio posset cadere sub merito de condigno, si alias daretur æqualis proportio inter opera patrum, et incarnationem, si quidem non obest, quod principium meriti posset cadere sub merito; quod tamen negat D. Thomas artic. xi secunda ratione dicens: « Incarnationem posse cadere sub merito, quia est principium meriti. »

XVIII. Solutio istarum difficultatum consistit in hoc, quod merita

Christi, non solum se habuerunt, ut causa dispositiva movens divinam voluntatem ad retributionem præmii, sed etiam se habuerunt ut causa finalis respectu nostræ gratiæ, et antiquorum patrum, in quo valde differunt a meritis nostris respectu præmii, ad quod tendunt. Et hujus ratio est, quia merita Christi superant in excellentia, et valore nostram gratiam, et sic possunt habere rationem finis erga illam. Unde Christus non solum ratione substantiæ incarnationis, sed etiam secundum officium redemptoris, se habet ut finis totius gratiæ nostræ, quia prout sic, est caput Ecclesiæ, et id, ad quod omnis gratia ordinatur. Fuit autem redemptor per opera meritoria; ergo Christus ut exercens opera meritoria, et munus redemptoris, se habebat ut finis illius gratiæ, quam merebatur nobis.

XIX. Ex quo fit, quod distinctio data de incarnatione ut intenta, et executiva, etiam habet locum in ipsis meritis Christi, et in ejus redemptione, potestque considerari illa redemptio, et illud meritum, quod in re futurum est, per modum finis gratiæ patrum, in quantum est excellentissima operatio, unde derivata est omnis gratia, et sic fuit intenta, et in tali intentione movit Deum, ut daret gratiam patribus, quæ gratia in re executiva movit voluntatem divinam per modum meriti congrui, seu causæ dispositivæ moralis, ut in ipsa executione penetraret incarnatio, et ipsa merita Christi, per quæ in executione solvit, et meruit gratiam datam patribus.

XX. Ad argumentum ergo ex Lorca respondetur, quod Christus meruit in tempore gratiam patrum in genere causæ efficientis, et meritoria, et prout sic sub ista consideratione non fuit gratia patribus per anticipationem data, ex vi illorum meritorum. Cæterum sub alia con-

sideratione quatenus illa incarnatio et illa merita Christi se habebant ut finis gratiæ patrum, sic intuitu talium meritorum, prout in intentione, postea meruit ut in re, et ut in executione poneretur incarnatio, et merita Christi. Sicut quilibet finis intentus est causa mediorum, quæ media ponunt ipsum finem in executione; et sic eodem modo quo incarnatio Christi potuit esse intenta per modum finis, et intuitu illius dari gratia, etiam merita Christi sic se habuerunt; et sicut incarnatio Christi id executione fuit propter merita patrum, ita merita Christi fuerunt executiva per merita patrum; et Christus in executione meruit ipsam gratiam patribus, et sic fuit prævisus a Deo; non vero anticipatio gratiæ patribus data est intuitu meritorum Christi, prout consideratur in executione, sed prout consideratur in genere causæ finalis, et per modum unius cum ipsa incarnatione, et quatenus constituunt Christum in officio redemptoris.

XXI. Nec sequitur, quod Christus meruit suam incarnationem, quia meruit gratiam patribus, quæ est causa incarnationis. Non inquam sequitur, quia hæc se habent in diverso genere causæ, scilicet incarnatio in genere causæ finalis; gratia autem patrum in genere causæ dispositivæ, seu meritoria. Sicut ob eandem rationem non sequitur, quod finis sit causa sui, etiamsi sit causa meritorum, quæ causant ipsum, quia proceditur in diverso genere causæ.

XXII. Ad instantias autem Vazquez respondetur. Ad primum, quod quando dicitur patres ideo meruerunt, quia Christus erat futurus, et prævisus scientia visionis, distinguendum est, quia erat futurus futuritione intenta, concedo; futuritione non executiva pro illo priori, nego. Hæc enim executio erat de-

pendens a mediis, quorum unum erat merita patrum, et sic ista executio pertinet ad aliud signum posterius: et in illo statu, et prioritare futuritionis intentæ, jam non intelligitur Christus in statu puræ possibilitatis, sed neque adhuc in statu completæ executionis, sed in inchoatione illius, quatenus prius intenditur, quod aliquid sit futurum, et deinde quærentur media, et apponuntur, ut in re fiat executio; et sic prius intenditur incarnatio, et merita illius, seu redemptio, ut finis efficaciter intentus, et consequenter futurus, quantum est ex vi intentionis; et intuitu talis finis sic intenti, et futuri, in intentione derivantur media, et datur gratia ipsis patribus, ut se præparent, et mereantur de congruo executionem incarnationis, et meritorum ejus. Christus autem exequendo merita sua solvit pro tali gratia anticipata data, non tamen prout in executione est causa illius anticipationis, sed illa anticipatio fuit facta intuitu Christi, ut intenti, non executi.

XXIII. Ad secundam instantiam, admittimus illam differentiam inter causam physicam, et meritoriam, et addimus, quod voluntas Dei, non fuit mota ex merito patrum ad volendum Christum in intentione, et prædestinatione: fuit tamen mota ad ponendum ipsum in executione. Sicut non movetur Deus ad eligendum prædestinatos ad regnum ex motivo meritorum, et tamen movetur ex meritis, tamquam ex mediis, ad ponendum in executione ipsam gloriam. Et sic cum voluntas divina dupliciter moveatur, primo, ad intendendum; secundo, ad exequendum, prius supponitur mota voluntas ad intendendum, non ex meritis, sed ex aliis motivis, scilicet propter gloriam Dei, et nostram salutem; deinde movetur ad exequendum propter merita, et tamen non supponi-

tur mota voluntas quoad executionem, quia solum in isto ordine, et linea executionis merita movent.

XXIV. Ad tertiam instantiam ex D. Thoma respondetur, incarnationem potuisse cadere sub merito de condigno, sicut de congruo, si daretur principium æqualis dignitatis. Sed ratio D. Thomæ destruit suppositum hujus conditionalis, scilicet, non posse dari tale meritum de condigno, supponendo, quod non datur alia incarnatio, quæ sola potest esse principium æquivalens; et ita cum solum detur incarnatio Christi, et illa est principium omnis meriti, bene sequitur, quod non potest cadere sub merito respectu sui ipsius. An vero possit cadere sub merito de congruo, mediante alio principio, quod est gratia patrum, non negat D. Thomas.

XXV. Ex his patet ad dubitationes propositas ab initio. Nam quando dicitur principium meriti non posse cadere sub merito, etiam de congruo, constat debere intelligi de principio meriti intrinseco, et dante valorem ipsi actui meritorio: non vero intelligitur, quod sunt plura principia, et unum extrinsecum, et concurrens in genere causæ finalis; aliud vero intrinsecum, et concurrens in genere causæ efficientis, ut est gratia patrum.

XXVI. Ad primam confirmationem respondetur D. Thomam, non negare, quod patres, supposita incarnatione ut intenta, meruerint, quod in executione poneretur, sed negare electionem, ut ex isto populo Christus nasceretur, et promissionem de Christo ipsis factam processisse ex meritis, sed mere gratis, quia illa electio fuit non solum, ut Christus in executione veniret, sed electi sunt ad accipiendam ipsam gratiam, qua meruerunt, ut veniret: collatio autem gratiæ, et electio ad illam in patribus fuit ex meritis.

XXVII. Ad secundam confirmationem patet ex dictis, quod supposita incarnatione in genere causæ finalis, Beata Virgo meruit, ut per eam fieret in executione; non tamen præsupposita incarnatione in executione Beata Virgo meruit, ut fieret; id enim esset implicatorium.

XXVIII. Ad ultimam dicitur non sequi, quod patres meruerunt suam gratiam, ex eo quod merebantur incarnationem, quæ erat causa gratiæ, quia proceditur in diverso genere causæ; merebantur enim incarnationem, ut in executione; erat autem data ipsis gratia anticipate ex vi incarnationis in intentione; non merebantur autem illam prout in intentione, et consequenter neque suam gratiam, quæ ex illa intentione dependebat prout anticipata. Quæ dicta sunt de incarnatione, proportionaliter intelligenda sunt de maternitate Beatæ Virginis: hæc enim, cum essentialiter sit connexa cum Filio suo, qui est Christus, non potuit cadere sub merito de condigno, sed de congruo, sicut ipse Christus.

ARTICULUS II.

Utrum Christus potuerit mereri suam incarnationem?

I. Controverti solet hæc difficultas in duplici sensu. Primo, de ipsa Persona Christi: secundo, de humanitate ejus. Loquendo de Persona, non potest intelligi difficultas, nisi respectu operum subsequentium, quia opera procedentia ab ipsa Persona Christi, non potuerunt antecedere ipsammet Personam, et unionem ejus ad naturam: loquendo autem de humanitate Christi, potest esse difficultas, an opera aliqua possint procedere ab humanitate antecedenter ad unionem ad naturam,

præsertim in opinione eorum qui sentiunt humanitatem habere propriam existentiam, et prius natura existere, quam uniatur Verbo. Tunc in illo priori potest intelligi natura cum gratia, et cum operatione procedente a gratia; ergo erit meritoria saltem de congruo ipsius incarnationis, pro alio posteriori exequenda.

II. Circa primum sensum pater Suarez hic disput. x, sect. iv tenet non repugnare, quod per opera subsequencia incarnationem Christus meruerit ipsam executionem incarnationis, quæ anticipata solutione ipsi data est: Deus enim prævidens Christum, et ejus merita, prout in executione, voluit Christo gratiam unionis dependenter ab operibus suis futuris. Et confirmat hoc secundo exemplo allato de gratia sanctorum patrum, quæ data est illis ex meritis Christi prævisis multo antequam incarnatio poneretur; et tamen dependenter a meritis Christi data est, quibus ipsammet gratiam patribus meruit.

III. Si dicatur incarnationem esse principium meriti in ipso Christo, non autem gratiam patrum contra est, quia incarnatio non ut exhibita, sed ut prævisa tantum est principium meriti prævisi; ergo licet incarnatio ut prædestinata non potuerit cadere sub merito, bene tamen ut executata. Aliud exemplum est de rege dante militi equum, et arma in stipendium futuri laboris, quo meriturus est ipsamet arma. Quod exemplum inquit Suarez, licet multis viis vitetur a contrariis nunquam tamen plene satisfaciunt.

IV. Confirmare possumus duplici argumento: Quia Angeli in primo instanti receperunt gratiam per dispositionem ab ipsamet gratia procedentem, eique conjunctam, ut sumitur ex D. Thoma 1 p. quæst. LXII, art. II et III: ergo similiter non

repugnat, quod simul tempore habeat Christus gratiam unionis, et operibus ab illa procedentibus se disponat ad illam: in illo autem priori, quo se disponit potest etiam mereri saltem de congruo id, ad quod se disponit; neque enim illa dispositio est ab operante inimico, sed justificato; ergo potest esse meritoria.

CONCLUSIO.

V. Repugnat Christum Dominum mereri per opera subsequencia suam incarnationem, sive de condigno, sive de congruo, neque circumstantias ejus, neque continuationem. Fundamentum hujus conclusionis docet D. Thomas quæst. xxix de veritate, art. vi, his verbis: « Quamvis quidam dicant, quod aliquis potest mereri id, quod jam habet sicut dicunt de Angelis, quod beatitudinem, quam simul cum gratia acceperunt, meruerunt per opera sequentia, quæ circa nos faciunt; sed hoc non videtur verum esse propter duo. Primo, quia contrariatur probationi Augustini, per quam contra Pelagianos probat gratiam sub merito cadere non posse, quia ante gratiam nulla sunt merita, nisi mala, cum ante gratiam homo sit impius et meritis impii, non gratia, sed pœna debetur. Non ergo posset dici, quod gratiam quis meretur per opera, quæ quis post acceptam gratiam facit. Secundo, quia est contra rationem meriti, nam meritum est causa præmii, non quidem per modum causæ finalis; sic enim præmium est magis causa meriti, sed magis secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit dignum præmio, et per hoc ad præmium disponit. Id autem, quod est causa per modum efficientis, nullo modo potest esse posterius tempore eo, cujus est causa; unde non potest

esse, quod aliquis mereatur id, quod jam habet. Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio domino suo servit, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti. » Sic S. Thomas.

VI. Ex quibus elicimus hanc rationem, quia habere, seu possidere aliquid stat dupliciter. Uno modo proprie, et perfecte, quando quis habet aliquid tamquam suum, et tamquam proprium: alio modo improprie, et secundum quid, quando habet aliquid, quasi commodatum, et ad usum, modum tamen habet, illud simpliciter, et proprie. Si primo modo habetur aliquid implicat, quod per opera sequentia mereatur illud, quia meritum dat titulum possessionis, et proprietatis, faciendo dignum præmio. Ergo præmium non possidetur, neque habetur simpliciter ante meritum, nisi forte proponatur alicui in præmium: non res ipsa, quam habet, sed novus titulus habendi illam, et tunc ille novus titulus non possidebatur ante meritum; res vero ipsa possidebatur antea, sed alio titulo.

VII. Unde Suarez percipiens vim hujus rationis, dixit potuisse incarnationem dari Christo non absolute; sed sub conditione, et dependenter ab operibus faciendis, quod est dicere, potuisse dari incarnationem, quasi commodatam, et mutuo quousque solveretur, quod pertinet ad secundum modum supra positum habendi aliquid, non ut suum, sed ut commodatum. Et sic verum est, quod ante meritum potest quis habere præmium, quasi mutuo, et commodato, quousque mereatur illud, et tunc incipiet habere illud, tamquam proprium et suum. Sed tunc necesse est, quod ex alio principio influat valorem in actus, quibus meretur, quia si meritum accipit valorem ex ipsa re, quæ datur in præmium manifestum est, quod